DE SERMONE SCRIPTORUM LATINORUM

AETATIS QUAE DICITUR ARGENTEA

OBSERVATIONES

SCRIPSIT

CASIMIRUS MORAWSKI.

SEORSUM IMPRESSUM EX COMMENTARIIS SOCIETATIS PHILOLOGAE,
QUIBUS INSCRIBITUR »EOS«, VOL. II., P. 1—13.

LEOPOLI.
SUMPTIBUS SOCIETATIS PHILOLOGAE.
TYPIS E. WINIARZ.
1895.

De sermone scriptorum latinorum aetatis quae dicitur argentea observationes.

I.

Quae Sallustius, dum in historiis crudelitatem Sullae depingit, de Marii Gratidiani cruenta caede et tormentis tradidit, ea mirum in modum posterioris aevi scriptoribus placuisse, ex eo conicias, quod locutio a Sallustio ad rei saevitiam repraesentandam excogitata iterum iterumque repetitur, tamquam si semel emissa publici iuris facta esset. Eorum enim, quae apud Sallustium frgm. 44 legimus: fracta prius crura bracchiaque et oculi effossi, scilicet *ut per singulos artus exspiraret* . . . , prorsus similia invenies apud Senecam de ira III, 18: per singulos artus laceravit, Valerium Maximum IX, 2, 1: quam . . . singulas corporis partes confringeret, apud Florum, qui quidem diligentissime Sallustii vestigia pressit II, 9, 26: ut per singula membra moreretur. Verba igitur Sallustii, cuius imitatio in litteris Romanis tam late patuit, ita sese inculcaverunt auribus, ita haeserunt in animis, ut scriptores qui postea vixerunt, nequaquam religioni duxerint insolentius a Sallustio inventa occupare. Excusabat eos nimirum mos ab omnibus comprobatus, quem ut in poesi, ita inter solutae orationis cultores Romae viguisse innumera exempla sunt argumento. Unumquemque enim scriptorem paullo audentioris stili excipiebat grex heredipetarum, qui expilabat eius thesauros, omnique scrupulo exempto, si quid feliciter illi cesserat, in suum convertebat usum. Ut Croto illa Petroniana, respublica quoque litterarum in duas hominum classes erat divisa, eos qui captabantur et alteros qui captabant. Cuius moris ut unum et luculentum afferam exemplum, satis erit monuisse id quod Valerius Maximus de Fabio Cunctatore paullo argutius excogitaverit, magnopere arrisisse

Floro, alienarum argutiarum assiduo captatori. Quae enim Valerius de Fabio VII, 3, 7 protulit: cuius non dimicare vincere fuit, surripuit Florus, apud quem legimus I, 22, 27: qui novam de Annibale victoriam commentus est non pugnare.

Imprimis argenteae latinitatis scriptores non desinunt aliquot locutiones omnibus locis infulcire, quas tum temporis in deliciis fuisse patet. Rem ipsam aut eo explicabimus, quod scriptor quidam illustris iis delectatus est, aut eo, quod scholae rhetorum quasdam dicendi formulas mire adamaverunt, unde earum usus latius manavit. — Ita quidem, cum miserias temporum aut hominis fortunae ictibus profligati describebant, increbruit locutio, qua dicebatur id, quod ad miseriam omni ex parte quodammodo consummandam deesset, quasi culmen malorum fato esse adiectum. Arellius Fuscus apud Senecam Controv. I, 7, 6 in moribus corrupti saeculi depingendis haec dicit: hoc prorsus fabulosum repleto sceleribus nostris s a e c u l o d e e r a t, u t narraretur aliquis solutus a piratis, adligatus a patre. Cf. eiusdem Sen. Controv. 1, 2, 2: Id unum deerat, ut e. q. s. Velleius Paterculus habet horum similia II, 26: Ne quid usquam malis publicis deesset et II, 47: ne quid ulli sanctum relinqueretur. Valerius Maximus, arto affinitatis vinculo cum Velleio coniunctus, scripsit IX, 2, 2: id enim malorum deerat, ut etc. . . . ; Florus, qui stilo lascivienti fere nimis indulget, non uno loco simili modo locutus est. Cf. 1, 34: ne quid turpitudini desit; II, 7 ne quid mali deesset; II, 9 hoc deerat unum populi romani malis, ut etc.; II, 13, 52: ne quid malis deesset. In declamationibus maioribus, quae perperam Quintiliani nomine exornantur eadem locutio iterum iterumque occurrit. Cf. I, 15: ne quid sceleri impio deesset; VI, 8 sola scilicet calamitatibus nostris adhuc defuit culpa, ut etc.; XII, 9 hoc enim unum supererat, ut . . . Similia sunt denique, quae Seneca in tragoedia Phoenissarum Jocasten conquerentem inducit v. 369: deerat aerumnis meis, ut et hostem amarem. — Quamvis vero Tacitus a scholasticis sermonis lenociniis nequaquam abhorruerit, videtur is tamen hunc loquendi modum, utpote vilem et calcatum sprevisse, quamquam frequentes de saeculo corrupto querellae facile eum pellicere potuissent, ut aequalium mori obsequeretur.

Etiam in laudationibus et vituperationibus hominum rerumque gestarum quaedam deprehendi possunt communia, quae diversi auctores quasi ex promptuario omnibus patenti excerpsisse videntur. Qui fortiter aliquid gesserunt eximiaque virtutis aut perversitatis praestiterunt exempla, a d i i s i n t e r r a m m i s s i esse dicebantur, quo homines egregii animi admiratione imbuerent aut scelerum horrore implerent. Velleius

II, 102, 2 Censorinum demerendis hominibus natum appellavit, 116, 2 virtutes Cossi celebrat, »adulescentis in omnium virtutum exempla geniti«, 129, 1 mentionem fecit Pomponii Flacci »nati ad omnia quae recte facienda sunt«. Apud Valerium Maximum VI, 9, 2 simili modo laudatur Scipio Africanus, »quem di immortales nasci voluerunt, ut esset, in quo virtus se hominibus ostenderet«. Seneca ad Pol. 14, 5 Scipionem Aemilianum »in hoc natum« esse praedicat »ne urbi Romanae aut Scipio deesset, aut Carthago superesset». In tractatu vero ad Helviam 10, 4 Caligulae graviter perstringitur perversitas, »quem videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent«. Idem denique Seneca de benef. 7, 8, 2 laudavit Demetrium »quem videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corrigi posse«. Extremo loco apponam verba ex declamationibus maioribus Pseudoquintiliani descripta, ubi (Decl. III, 3) haec de Mario leguntur: »quod exemplum divinitus nobis datum videtur, quid in homine virtus possit«.

Aliis porro locis comparationes ad vim sententiarum augendam auctores usurparunt easque ita conformatas, ut eiusmodi locutiones quae arto similitudinis vinculo conexae essent, ex scholis duxisse originem recte suspicari possis. Velleius Marianae proscriptionis saevitiam his verbis notavit II, 22, 1: Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta. Valerius Maximus de Deciis disserens V, 6, 5 talia addidit: unicum talis imperatoris specimen esset, nisi animo suo respondentem filium genuisset. Florus II, 12, 4, postquam Catilinae asseclas sanguinem humanum ex pateris bibisse narravit, hac exclamatione horrorem expressit: summum nefas ni amplius esset propter quod biberunt.

Ita quidem illi scriptores, quos inter historicos triumviros scholasticos recte nuncupaveris, saepius affinitate quadam scribendi inter se consentiunt et communi quadam nota insigniti apparent, quam iis schola impressisse videtur. Rationem tamen, quae inter Velleium et Valerium Maximum intercederet fuisse artiorem ipsi iam demonstrare conati sumus in dissertatione, Analectis Graeco-Latinis, Cracoviae a. 1893 editis, inserta similitudinesque aliquot apud utrumque auctorem deprehensas inde manasse coniecimus, quod Valerius nonnunquam maioris natu auctoris vestigia pressisset. Argumentis, quae ibi ad suspicionem nostram firmandam protulimus, liceat nunc addere quasdam observationes, quae supplementi vice fungantur. Velleius II, 99, 1 Tiberium tribuniciae potestatis consortione aequatum esse Augusto narrat et

locutionem hanc iteravit II, 103, 2. Valerius Maximus eadem voce consortionis usus est saepius IV, 2, 2 (imperii), IV, 6, 3 (fati), IV, 7 praef. (deliciarum), IV, 7, 5 (laudis). Quam quidem vocabuli formam propterea adnotandam esse censui, quia raro exhibetur. Ex Livio unum descripsi locum, quo auctor eadem voce simili modo atque Velleius usus est. Cf. 40, 8, 12 (consortionem inter bonos reges). — In transitione narrationis, dum ad laudes alicuius hominis sese convertit Velleius, duobus locis verbum usurpavit f r a u d a n d i. Cf. II, 76, 1: testimonio . . . non fraudabo avum meum; II, 92, 1: praeclarum factum Saturnini ne fraudetur memoria. Cf. praeterea apud Vell. II, 12, 6: non tamen huius consulatus fraudetur gloria et II, 32, 2: testimonio fraudare. Horum vero similia legimus apud Valerium Maximum 1, 1, 9: Bibaculus . . . laude fraudandus non est. Cuius quidem vocabuli hac vi praediti usus posteriore demum increbruit aetate. Cf. Curtii IV, 63, 31 (ne duces quidem laude fraudandi sunt), Plinii H. N. 32, 21 (ne fraudentur gloria sua), Quintiliani Instit. II, 14, 1 (non fraudaverim debita laude). — Innumeris fere locis tam apud Velleium quam apud Valerium laudes aut vituperationes hominum, qui rebus gestis inclaruerunt, vocabulo e f f i c i e n d i et enuntiato apposito, quod ex particula u t pendet, exponuntur. Dum quidem exemplorum enumerationi supersedemus, liceat tamen observare locos, quibus uterque auctor eiusmodi enuntiata eodem prorsus modo conformarit. Verbis enim Velleii, quibus Cicero celebratur II, 34, 3: qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, prorsus respondet Valerii de Vottieni morte narratio VI, 3, 3: effecitque ut quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret. Simili modo laudavit Valerius Catonem II, 10, 8: quae (scil. virtus) quidem effecit, ut quisquis sanctum et egregium civem significare velit, sub nomine Catonis definiat. — Eiusdem formae enuntiata invenies apud Velleium II, 118, 4 et Senecam de clementia 1, 15, 2.

Sed haec hactenus. Dum enim minutam quaestiunculam perscrutamur, ampliorem deseruimus materiam, quae et maioris est momenti et fructus promittit uberiores. His igitur scriptoribus dimissis, denuo a semita in rectum tramitem transgrediamur, qui ad vastiorem campum nosmet deducat. — Senii et languoris certum esse indicium, si auctores simplicitate antiqua spreta et abiecta, novitatis vero studio abrepti sermonem ab usitata ratione detorquent idque praecipue captant, quod reconditius sit et lassos animos lectorum inusitato cultu aut sententiarum exquisitarum nitore pungere et excitare possit, nemo profecto negabit. Quod quidem vitium aetatis argenteae scriptores ita invasit, ut ne praestantissimi quidem viri, Seneca philosophus et Tacitus ab

eo essent alieni. Accessit rhetorum schola, quae coloribus suis seu fucis omnia litterarum genera aut leviter adspersit aut penitus imbuit. Indeque manavit affectatio quaedam in sermone minus trito aucupando apud multos auctores huius aevi conspicua; similis quidam tenor et singulae locutiones, cum cacozelia quadam repetitae studium illud arguunt et produnt. Etenim novitatis captationi comitabatur eorum imitatio quae semel insolentius ficta et prolata prosterioribus ita placuerunt, ut nauseam fere moveant frequenti iteratione. Rem ipsam, si ei litterarum vitio respondere statuas, quod recentioris aevi homines francogallica voce manière designare et perstringere solent, equidem lubentissime huic opinioni subscribam.

In iis quae supra protuli, insunt iam quaedam, quae ad observationem hanc illustrandam facere videantur; nova tamen exempla, quo res clarius pateat, adhuc adicere operae pretium est. Cicero in oratione in Pisonem §. 84 ita est usus vocabulo accessionis, ut nomen hoc ad hominem referatur: tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus eius comes. Simile exemplum invenies apud Livium 45, 7: Syphax . . . accessio belli Punici fuerat, sicut Gentius Macedonici. Videamus nunc et miremur, quantopere hac audacius conformata locutione posterioris aevi scriptores delectati sint. Apud Senecam dicitur Lepidus Suas. 7, 6 alienae dementiae accessio, apud Valerium Maximum 5, 7, 1 Fabius accessio pompae, 9, 1 ext. 5 Ptolemaeus accessio vitiorum suorum nuncupatur. Seneca porro filius habet in dialogis VI, 26, 7: nos parva ruinae ingentis accessio. Florus, Livianum imitatus est exemplum, cum I, 25 diceret: Aetoli belli accessio fuerunt. Idem tamen praeterea scripsit I, 36: qui alienae cladis accessio fieri timet et 1, 41: Cilix Mithridaticae provinciae factus accessio. In declamationibus pseudoquintilianeis eadem locutio occurrit IX, 20: ille maioris momenti accessio.

Non solum igitur locos communes scriptores huius aetatis adamarunt, sed etiam locutiones quasdam tamquam communes in deliciis habuerunt. Affectati aliquid saepius apud eos deprehenditur, cum in sensibus, tum in forma, qua illae sententiae veluti veste fucata induuntur. Cuius studii et moris hoc luculentum proponemus specimen. Arellius Fuscus in Senecae patris Controversiis X, 4, 6 talem protulit sententiam: genus est rogandi rogare non posse. Postea quidem uberrima similium enuntiatorum provenit seges. Sententias enim quae blanda sensus novitate sese animis lectorum sive auditorum insinuarent, saepius ad hoc exemplar formaverunt auctores. Imprimis Seneca philosophus mirum quantum eiusmodi locutionibus delectatus est. Legimus

enim apud eum de ira I, 12: abominandum remedii genus est sanitatem debere morbo; I, 16, 3 interim optimum misericordiae genus est occidere; ib. II, 23, 4 gratissimum putavit genus veniae nescire, quid quisque peccasset; II, 32, 3 ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio; de const. sapientis 17, 4 genus ultionis est eripere ei, qui fecit, factae contumeliae voluptatem; de clementia I, 22, 1 impunitatis genus est iam non habere poenae locum; de benef. IV, 40, 4 reiciendi genus est . . . munus munere expungere. Cf. similes locos de benef. IV, 10, 3; epist. 88, 36. Adnotanda sunt porro verba Plinii Paneg. 70: efficacissimum genus est rogandi gratias agere [1]). Ex Pseudo-Quintiliani declamationibus maioribus haec descripsi exempla 11, 2: genus libertatis putabat odisse maiores; 2, 14: genus infirmissimae servitutis est senex maritus; 7, 4: genus servitutis est coacta libertas. Ex declamationibus autem minoribus pertinet huc locus d. 335 init.: cum et hoc ipsum sit calamitatis genus mori velle. Hieronymus denique in tractatu de muliere septies icta (f. 107 *a* ed. Erasmus) similia habet: pietatis visum est genus ut paterentur occidi.

Cui aridae enumerationi observatiunculam T a c i t i n a m subiciemus. Licet auctor hic proprium quendam et peculiarem stilum excoluerit atque animus eius excelsior respuerit ea quibus scholastici delectabantur et vulgus gaudebat, magnum tamen rerum gestarum scriptorem non abhorruisse prorsus a saeculi sui moribus et aequalium deliciis et ipsi alio loco monuimus et res unicuique libros eius legenti manifesto apparebit. Praecipue vero in Historiis, quod opus »multiplices rerum humanarum casus« continebat, multa occurrunt, quae scriptorem rhetoricis studiis diligenter quondam vacasse luculenter arguant. Quicumque enim in libro III Historiarum perlegerit cap. 68, ubi Vitellius Palatio relicto fugam meditatur, recordabitur profecto scholasticarum declamationum, quibus rhetores de hominibus a fastigio potentiae subito devolutis flebiles effundebant querellas. »Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum

---

[1]) Libellum qui magis omnibus lenociniis scholae lasciviret equidem non novi. Textus enim huius opusculi fere continua et longa serie antithetorum aliarumque figurarum constat. Multa sine dubio Plinio et Tacito sunt communia. Ita quidem asyndeta, quae tria substantiva aut adiectiva aut verba continent, frequentissima sunt apud Tacitum dialogo et Germania exceptis, qui libelli admodum pauca huius figurae exempla exhibent. Panegyricus Plinii scatet magno eius modi triadum numero. Cf. §. 1 (ope consilio honore), §. 2, 6, 7, 10, 14, 18, 47, 50, 55, 59, 70, 71, 72, 76, 82.

principem et generis humani paullo ante dominum relicta fortunae suae sede per populum, per urbem exire de imperio«. Locus communis de fortuna ex hoc genere erat, quod rhetor Porcius Latro sententiarum supellectilem vocabat. Cf. Sen. Controv. I praef. 23. Lususque et casus fortunae fertilissimam ad ingenia exercitanda suggerebant materiam. Notanda autem est similitudo in iis, quae apud Iustinum II, 13 de Xerxe narrantur: Erat res spectaculo digna et aestimatione sortis humanae, rerum varietate mirandae, in exiguo latentem videre navigio, quem ante vix aequor omne capiebat . . . , neque minus alio loco (XX, 5), ubi idem auctor de Dionysii Siciliensis ruina eodem fere locutus est modo. Subicienda est denique Flori narratio, fugam Brundisinam Pompeii describentis II, 13, 20: sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu! modo princeps patrum, pacis bellique moderator per triumphatum a se mare lacera et paene inermi nave fugiebat.

Eiusmodi excursus quasi ocliferia quaedam inserebant libenter rerum gestarum scriptores suis narrationibus, memores suasoriarum, quas in scholis olim declamitaverant, sensu exiles, verbis gravidas. Ne a Taciti quidem virili sermone hos iuvenilis abundantiae luxuriantes colores fuisse alienos, ex hoc et aliis locis cognosci potest.

II.

Ita quidem apud plerosque auctores latinos, qui argentea vixerunt aetate et color quidam sermonis deprehenditur similis et stilus adfectatus in quo cum verba singula tum verborum coniunctiones et totae sententiae affinitatis manifestas notas prae se ferunt. Materiam hanc, ab aliis delibatam compluribus iam dissertatiunculis illustrare conatus sum atque officinis litterariis lucem immittere quo ingenia et scribendi ratio singulorum auctorum magis notescerent. Neque dubito, quin ex eiusmodi migratione verborum et sententiarum accuratius perspecta et perpensa ad historiam litterarum Romanarum melius pernoscendam sincerae utilitatis nonnihil capiatur. Ita quidem, ut alios auctores hoc loco praetermittamus, Curtium rhetoricis studiis et declamationum fetibus penitus fuisse imbutum ex descriptione Oceani, quae apud eum invenitur IX, 4, 18 cum Senecae Suasoria I, §. 1—2 comparata manifesto apparuit. Nam et iisdem fere verbis et similibus figuris terribilis Oceani natura utroque loco depingitur [1])

[1]) Zeitschrift für oest. Gymnasien 1893 S. 99.

Valerius Maximus ex eorum auctorum erat numero quibus dulcia suae aetatis vitia praecipue arriserunt. In rhetorum nimirum hortulos flosculosque deduxit eum ipsa materia quae laudum et vituperationum frequentissimas occasiones praebebat atque ad locos communes exhibendos ipsa per se invitare videbatur. Nimius est igitur auctor in rhetorum lenociniis usque quaque infulciendis, lascivit in antithetorum usu, sententiis abutitur; quodque cantores deterioris notae facere solent, nullo fere loco respirat neque lectorem respirare sinit, nisi simul acclamationem petierit. Ne mireris igitur, quod in ampla sensiculorum congerie multi reperiuntur inepti et frigidi, quod subtilitas scholastica quaedam commenta est minus plausibilia nec magno rhetoris digna hiatu. Ex grandi eorum numero ea saltem afferemus exempla, quibus scriptor scholarum disciplinam secutus per tetracola sensus suos explicavit. Sententias enim hoc modo conformatas tum temporis basilicas infectasse atque in deliciis fuisse et Seneca nos docet Controv. II, 4, 12; IX, 2, 27 et diserte testatur Quintilianus IX, 3, 77. Legimus igitur apud Valerium III, 4, 2: Tarquinium . . . . fortuna in urbem nostram advexit, alienum, quod exactum, alieniorem, quod ortum Corintho, fastidiendum, quod mercatore genitum, erubescendum, quod etiam exsule natum patre; III, 7, 1: nihil hac fiducia generosius, nihil praedictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius; V, 4, ext. 3: isdem enim manibus Paciaecis ultionem, Etpasto poenam, genitoribus nutrimenta, vobis gloriosa fata peperistis. — Similia invenies apud Senecam l. c. et X, 1, 1, ubi Albucius Silus haec profert: Quod sordidatus fui, luctus est, quod flevi pietatis est, quod non accusavi, timoris est, quod repulsus est, vestrum est.

Quas ineptias imitatus Valerius Maximus et ipse curavit, ut in eiusmodi lusibus numerus constaret, minus curavit an sensus. Ut enim forma omni ex parte consummaretur, saepius necesse erat insulsitates meras inserere, quas iam Romani merito cum contemptu »explementa« vocaverant. Ex scholis vero Valerium inficetam illam sapientiam et nimiam rettulisse sententiarum captationem, minus fidenter asseverarem, nisi unum certissimumque eius rei indicium eruere contigisset. Valerius enim Metelli et cohortium, quae apud Contrebiam multitudinem hostium superarunt, fortitudine descripta (II, 7, 10) hoc epiphonemate conclusit rei narrationem: Humanae igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas. Quo quidem loco furti manifesti eum arguere possumus. Nam Votienus Montanus apud Senecam Controv. IX, 4, 5 de tyrannicida declamans protulerat sententiolam prorsus similem: necessitas, ait, magnum humanae imbecillitatis patrocinium est. Qui quidem

rhetor eo peccabat, quod in declamationibus eius sententiae prorsus modo carebant; repetendo corrumpebat ea quae semel dicta placere potuissent laborabatque eodem vitio atque Ovidius, moderationis defectu.

L. Annaeus Seneca multa debuit patri et fortasse plura, quam ipse pater optasset. Quae enim Seneca rhetor, vir sani sobriique iudicii filiis proposuit, alia quae argutius declamatores invenissent collaudans, ingenia iuvenilia formaturus, alia vero quae minus feliciter scholasticis cessissent perstringens, quo adulescentes ab ineptiarum periculis deterreret, ea sine delectu ac nimio cum ardore amplexus est Lucius, qui in libellis conscribendis artificiis rhetorum nimis indulsit. Nam operis paterni assiduum eum fuisse lectorem libri et poetici et soluta oratione ab ipso exarati luculenter arguunt. Lectionisque illius vestigia, quae quidem in tragoediis conspicerentur, accuratissime collegit Fridericus Leo in sagacissima dissertatione, qua Romanorum tragoediam rhetoricam illustravit. (De Senecae tragoediis observ. crit. Berol. 1878 p. 153). Restat igitur, ut de aliis auctoris opusculis quaedam adnotemus. Ac primum quidem monebo, in stili eius tenore et colore nonnulla posse deprehendi, quae ad exemplar declamationum a patre expositarum videntur esse elucubrata. Pro multis exemplis unum ponatur, sed satis idoneum. In dialogo de constantia sapientis 13, 4 tali apostrophe alloquitur Seneca Asiae regem, debilitatem et pericula eius potentiae repraesentaturus: Habes sub te Parthos et Medos et Bactrianos, sed quos metu contines, sed propter quos remittere arcum tibi non contigit, sed postremos, sed venales, sed novum aucupantes dominium. — Vide nunc, amabo, quam simili gradatione apud Senecam patrem Suas. II. 18 declamator scholasticus Victor Stator Spartanos ad Thermopylas pugnantes laudaverit. »Trecenti sumus, inquit, ... trecenti, sed viri, sed armati, sed Lacones, sed ad Thermopylas«.

Eiusmodi vero exemplorum numerus posset ad libidinem augeri, si acta agere vellemus et id probare quod extra controversiam positum est, Senecam philosophum a rhetoricis studiis non fuisse alienum et scholasticos fucos plena manu suis adspersisse dialogis. Unum tamen locum praetermittere non possum, quo quidem ea, quae apud patrem leguntur, fere ad verbum a philosopho expressa sunt et ratio, quae inter utrumque auctorem intercesserit, optime illustratur. L. Annaeus Seneca in Consolatione ad Marciam c. 23 de fragilitate humanae felicitatis disputans haec profert: Quidquid ad summum pervenit, ad exitum prope est . . . . Nam ubi incremento locus non est, vicinus

occasus est etc. Conferas nunc cum iis Albucii Sili sententiolam a Seneca rhetore Suas. 1, 3 laudatam: quidquid ad summum pervenit, incremento non reliquit locum . . . . . ac non dubitabo, quin adstipulaturus sis mihi iudicanti, talem consensum fortuitum esse non posse. Quamvis enim eiusmodi quaestiunculae multorum illo tempore occupaverint animos atque Velleius Paterculus de eadem re fusius disputarit 1, 16—17, videtur tamen Seneca philosophus non ex communi promptuario sua hausisse, sed paterni operis pressisse vestigia.

C. Plinii panegyricus in laudem imperatoris Traiani perscriptus eximium est monumentum illius stili lascivientis, qualem in scholis rhetores excoluerunt. Scatet etenim illud opusculum omnibus artificiis, quae ibi excusa sunt, abundat praecipue antithetis et sententiis audacioribus eiusque figurae exemplis, quam Graeci antimetabolen nuncuparunt. Schemata nimis crebra et aures titillantia ita continuo sese excipiunt, ut oratio interdum suos fines egredi et ad musicam numerorum rationem propius accedere videatur, quae res, ne taedium moveat, vix et aegre evitari potest. Inter ea vero orationis ornamenta, quae ad fastidium usque repetuntur praecipue illud numeraverim, quod Plinius postquam unam aliquam imperatoris laudationem absolverit, permultis locis maioris momenti aliquid ingerat, ut praecedentis laudis vim exsuperet novo additamento. Ita quidem magnis maximis ingentibus semper quae opponerentur maiora auctori ad res augendas proclivi praesto erant. Cf. 7: videaris licet quod est amplissimum consecutus inter homines, felicius tamen erat illud, quod reliquisti; 14 multum est quod perseverasti . . . . plus tamen quod . . . . ; 23 gratum quod . . . . gratius tamen quod . . . . ; 27 magnum est . . . . maius tamen; 36 ingens hoc meritum, maius illud quod . . . . . Cf. similia prorsus exempla 41, 56 (2 ex.), 59, 65, 73, 74, 83.

Itaque hac loquendi ratione, quae etiam aliis auctoribus ut Valerio Maximo erat familiaris, mirum in modum abusus est Plinius. Quamvis enim auctor post Quintiliani aetatem vixerit et a huius auctoris studiis, quae ad deperditam sermonis latini sanitatem restituendam spectabant, non fuerit alienus, declamatorum tamen et stili a Seneca corrupti delicias altius in eius pectore haesisse, complures eius sermonis proprietates testantur. Inde manavit, quod Senecam nonnunquam imitatione expressit, quod huius admirationis indicia in Panegyrico quoque manifesta sunt. In transcursu liceat commemorare, locum Plinianum (88), quo auctor Traianum cum maximum tum optimum quoque imperatorem

celebrarit, iis inniti, quae Seneca in libris de clementia I, 19 in laudem protulit Neronis. Maioris vero sunt momenti, quae de sermonis affinitate apud utrumque auctorem conspicua adnotari possunt. Quaedam enim eorum, quae Seneca adfectati stili studio abreptus paullo audacius effinxerat, Plinius quaesitioris sermonis captator avidissime aucupatus est. Ita quidem Seneca in epistula 39 maximum corruptionis hominum esse indicium contendit, si mala sua ament iisque serviant; »et desinit esse remediio locus, ubi quae fuerint vitia, mores sunt«. Adfectata haec Senecae breviloquentia videtur Plinio magnopere placuisse qui de vulgi studiis exemplo magis quam severitate Traiani correctis disserens (46) hac clausula expressit rei admirationem: consecutus es ut quod antea vis et imperium, nunc mores vocarentur. — Attamen praecipuum imitationis indicium alio invenimus loco, qui ex diversis sermonis Annaeani frustulis quodammodo conflatus est. Plinius in loco communi tractando de principis securitate et ratione, qua securitas illa firmari posset, nimis fere indulsit rhetorum oblectamentis (49) audentiusque de »amoris excubiis« et innocentia principis quae arcis inaccessae vices teneret, locutus est. Ornatae egressioni subiecta est sententia, quae auditorum aures feriret: hoc inexpugnabile munimentum munimento non egere. Quin vero Plinius Senecae vestigia presserit, qui de clem. I, 19 eandem materiam simili tractavit modo, omnino dubitari nequit. Nam praeter cetera etiam illud apud Senecam legimus: unum est inexpugnabile munimentum, amor civium.. At ne hic quidem imitatio Senecae substitit. Nam totius sententiae Plinianae, quae studium rhetoris sententias insperati aliquid afferentes aucupandi manifesto prodit, exemplar Senecae est vindicandum. Commonstraverat nempe Plinio viam, qui in dialogo de providentia VI, 5 haec dixit: non egere felicitate felicitas vestra est. Inventiuncula igitur Senecae, quae ingenii faciem blandiebatur, ita delectatus est Plinius, ut eam sine progenie nescio an vitiosiore perire non pateretur.

Dissertatiunculae, quae tamdiu in rhetorum hortulis versata est, non bella neque sonanti clausula finem faciemus, sed in calce eius duos auctorum locos misere depravatos sanare conabimur. Loco Tacitino Ann. I, 8 quo de supremis Augusti agitur, haec in codicibus tradita sunt: Tum consultatum de honoribus; ex quis maxime insignes visi, ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli . . . . . anteferrentur, L. Arruntius censuere. — Quem textum gravi corruptela laborare omnes hodie consentiunt. Itaque Bezzenberge-

rius scripsit: ex quis qui maxime insignes visi . . . . , Wopkensius vero vocem visi uncis inclusit. Ferdinandus Becher denique, qui recentissimo tempore (Festschrift zur 200-jährigen Jubelfeier der Univ. Halle, Halle 1894 p. 3—4) loco sanando manum admovit pro tradito ex quis, proposuit: et qui. Nullam tamen harum coniecturarum mihi satis fecisse fateor; at videtur locus Tacitinus levidensi mutatione vocabuli visi emendari posse. Si enim scripserimus: ex quis maxime insignes visu, ut . . . . , nihil te iam profecto offendet. Tacitum quidem censendi verbum saepius cum accusativo coniunxisse rectissime observavit Nipperdeyus ad Ann. 13, 8; vocabuli porro visu cum adiectivis conexi haec exscripsi exempla: Ann. 1, 57 ingens visu; 1, 61 visu deformis; 2, 14 visu torvum; Hist. 4, 22 truculentior visu; Germ. 31 visu nova.

Quintilianus 7, 2, 33, postquam de argumentis ex ante actae vitae integritate sumptis disseruit, addidit praeterea, quae accusatori contra hanc patroni defensionem essent proferenda. »Accusator autem ad praesentem quaestionem, de qua sola iudicium sit, cognitionem alligabit dicens, neminem non aliquando coepisse peccare«. Sequuntur verba in libris turpiter corrupta: nec pro encenia ducendum scelus primum. — Gessnerus igitur in librorum encenia graecum vocabulum: encomio latere suspicatus est, Hauptius coniecit: naenia. Uterque tamen minus feliciter rem gessisse videtur. Quid si pro lectione codicum restituamus genuinum et tritum vocabulum: innocentia! Quo facto et oratio optime procedet, nec lectio ita longe recedet a codicum scriptura. — Cf. Quint. 7, 4, 18: in qua (scil. deprecatione) plurimum valent ex ipso qui reus est, tria: vita praecedens, si innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri . . . . . Seneca porro in libris de clem. 1, 15 de scelere ab adulescentulo timide peracto loquitur »quod proximum erat ab innocentia«. — Quae exempla ideo addidi, quo inde ad coniecturam firmandam aliquantulum subsidii adstrueretur; ceterum ipsam per se satis esse probabilem opinor.

Scripsi Cracoviae.

Casimirus Morawski.